

**www.e-rara.ch**

**Adriani Turnebi adversariorum tomi III ...**

**Turnèbe, Adrien**

**Basileae, 1580-1581**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-21>

**Adriani Turnebi adversariorum liber decimussextus**

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



ADRIANI TURNEBI AD-  
VERSARIORVM LIBER  
DECIMVS SEXTVS.

CAPVT I.

Catullus explicatus, Specula, corruere, saltus.

Catullus  
explicatus.



ERSVS Catulli de coma  
Berenic. Iunt non perinde  
faciles ob ignorationem hi-  
storiarum,

Anne bonum oblita es fa-  
cinus, quod regium ade-  
pta es.

Coniugium, quo non fortius ausit alis?

Sed quæ offusa est caligo sensui, discussa est  
ab Hygino Augusti liberto li. 2. de sig. cœlest.  
hist. his verbis, Alij, inquit, dicunt hoc amplius, Pto-  
lemæum Berenices patrem multitudine hostium perter-  
ritum fuga salutem petiisse: filiam autem sepe consuetam  
in equum insiliisse, & reliquam exercitus copiam consti-  
tuisse, & complures hostium interfecisse, reliquos in su-  
gam coniecisse: pro quo etiam Callimachus eam magna-  
nimam dixit. Idem & Callimachi interpretres Ca-  
tullus hic canit,

Cognoram à parua virgine magnanimam.

Sed & illud non sine quadam nebula est,

Et Veneris casto collocat in gremio.

Eodem Hygino auctore, gremium significa-  
tur Arsinoes Zephyritidis: ita enim indigita-  
batur, & Venus appellabatur. Quid? Illud an  
sine nubilo est?

Ille quoque, eversus mons est, quem maximè in oris  
Progenies Phthiæ clara superuehitur.

Montem autem Acho crediderim significari,<sup>50</sup>  
quem ducta fossa, admissoque mari continen-  
ti abscidit Xerxes. quamquam autem est ma-  
ximus mons ille, tamen eum gloriæ suæ ma-  
gnitudine & claritate superuehitur & superat  
Achilles, Phthiæ clara progenies: nisi si dicat,  
vltra eum motem Thessaliam esse, eiusque par-  
tem Phthiam in qua diuinis honoribus cola-  
tur Achilles. Sed ut porro pergam, & ex eodè  
poeta quædam explicare coner, carmen illud  
ad lanuam, æquè ac folium Sibyllæ obscurū  
& tenebricosum, mihi de Clodia intelligi vi-  
detur, quæ Cæcilio Metello nupserat. nam  
Lesbia Catulli sine controuersia Claudia est.  
Itaque & in epigramate scribitur nominatim,

Non ita Cæcilio placeam cui tradita nunc sum.

Has igitur fores pullaui & penè aperui, ac fa-

cile ex his, quæ hic posui, fuerit in sensum si  
non penetralem, aliquousque tamen ingredi.

Cum autem ibid. scribit:

Brixia Chinæ supposita specula,

Specula.

speculam montem Chinæum vocat. nam ex  
editis montium iugis prospectus peri potest,  
& longè lateque illinc licet speculari: sic a-  
pud Homerum,

— σκωπῶν τὸ εἰς τὴν ἀνθρώπων ἀβύσσον.

Cæterum illud ad Mallium,

— & in quo me corruerit genere:

submendosum quibusdam videtur: quod si  
est, non video quid accommodatius & ap-  
positius possit & propinquius populari scri-  
pturæ (quandoquidem sæpe euenire solet,  
ut in vicinum lapsus contingat) reponi quam  
torruerit. Nec tamen corruere tantum conci-  
dere est, verum etiam deijcere & pessundare,  
etiam conijcere, ut apud Varronem libro 4.  
de ling. Latina, spicæ corruuntur in corbem: & con-  
gregare, ut Plauto in Rudente, Sc. Qui homo.  
corruere diuitias: quæ quidem notiones verbi  
ex eo manarunt, quod quæ in corbem deijci-  
untur, multa simul etiam coniecta sunt atque  
congregata: sed torruerit utique mihi placet,  
quia mox adiungitur,

Corruere.

Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,  
quod significationi torrendi non corruendi  
conuenit. & alio loco,

Cum vesana meas torreret flamma medullas.

— quæ Themis, inquit hic, olim

Antiquis solita est munera ferre pijs.

hic Themis iustitia esse videtur, vel dea iusti-  
tiæ custos: quanquam Hesiodus iustitiam Io-  
uis & Themidis filiam in originibus deorum  
ponit. iustitia autem antequam reli&is terris  
hominum scelere pollutis in cælum subuolaf-  
set, mortales omni bonorum fœlicitatisque  
genere cumulabat, ut seculo aureo & argen-  
teo. Cum porro scribit de saltu firmano,

Saltus.

Firmano saltu non falso mentula diues:

saltum pro magna possessione accipit, ut à  
Varrone memoratum est li. 4. de re rustica. E-  
lepido igitur concinnoque poeta hæc quæ an-  
notarem selegimus, quæ si lectori ingrata  
futura non sunt, pretium operæ absoluerint:  
sin ingrata sint, æstimationem alijs scriptori-  
bus, qui in hoc genere collectitij velut aris fe-

occupant, quæsiuerint, nam horum comparatione merito pluris erunt.

## CAPVT II.

*Habuuerit, fluuida, mulcat.*

**A** Nimaduerti veteres solitos interdum productionis causa hiatus breuitatem literæ u alterius supplemento extendere: sic in præterito pro pluit, etiam pluuit in historicis reperimus, & è consuetudine producendi habuuerit pro habuerit, apud Plautum in Asinaria, Sc. Agedum istum ostende.

*Tot reddat spurcas, quot puras habuuerit.*

**Fluuida.** Eadem planè formula pro fluuido etiam fluuidum extulit Lucretius lib. 2.

*Sed quod amara vides, eadem quæ fluuida constant.* Idem quoq; cum liquida tendit, liquida duplicato u scribendum existimo, vel u pro consonante exaudiendum, vt in silua. Idem poeta erit toti huic capiti vestigialis. Obseruasse genus dicendi in eo ipsa raritate insolens mihi videor. Nam vt archaismus priscorum, omnes homines qui sese student præstare: efferebat, pro, qui student præstare: & apud Plautum scriptum est, *Atq; ego me id facere studeo,* pro, ego facere studeo. rursus in Casina, Sc. vt illum dij. *Quid velis modo, id velim me scire,* pro velim scire. sic in simili ferè genere, sed adhuc inusitatior eloquutus est hunc in modum Lucretius lib. 2.

*Sed nihil omnino recta regione viai*

*Declinare quis est qui possit cernere sese?*

pro, quis est qui possit cernere. & lib. 1.

*Quippe etenim quæ multa tibi me fingere possū,* pro fingere ego possū: sic enim in libris antiquis reperitur, qui si errant, ne in nos culpa cõferatur. Ex hoc poeta etiam intelligimus pleraque neutra, quæ hodie in ar desinunt, antiquo ritu desisse in are: pugillar pugillare, exemplar exemplare, vt lib. 2.

*Exemplare dare, & vestigia notitiæ.*

quæ in mentum, etiam in men, vt fundamentum fundamen, momentum momen. Ibidem,

*Tantum quod momen mutatus dicere possis: id est,* momentum mutationis. In illo autem versu,

*Prætereaq; solere vias restringere nostris.*

pereleganter restringere est aperire, & quod constrictum erat laxare, vt & apud Plautum in Captiu. Sc. Miser homo. restringere dentes, quod irritati canes dum ringuntur faciunt. eodem libro,

*— quapropter vbi ipsam*

*Cernere iam nequeas, motus quoq; surpere debet.* id est, debet surripere & subtrahere motus. sic enim singulari non plurali numero legèdum auguror. Sed amabo te, cur toties à Lucretio dicitur inane vacuum: an quòd inane aliquod sit plenum, à quo distinguat? Inscitum id quidem & delirum sit. an quòd poetico iure adiunctionem addidit non necessariam? ne id quidem credo: sed quòd aeris plagam solent

etiam inane appellare latini, discernendi dirimendiq; causa inane vacuum appellauit: vt cum hoc libro scribit, *per inane meant vacuum.* & non *per inane meant vacuum.* quòd scilicet per aeris regionem feratur, in qua etsi inanitas est, non tamen omnino vacua, nec sine corpore: idque nos antè recordamur explicasse. Lego autem ibidem, *Quapropter simul inter se tardantur, & extra*

*Officiuntur.* Illud quoq; sic in cartharum

10 *veteramentis reperio & amplector,*

*illa quoq; in solis quæ lumine cernere quimus,*

*Ne quibus id faciunt plagis apparet aperte.*

ne, hic more prisco est non: vt apud Plautum, in Trinummo, Sc. Neq; fuit. nisi ne vis, pro nisi non vis. Ego verò libris araneoso situ squalidis auctoribus versus hos sic lego,

*Deniq; multa vides, quibus & color: & sapor vna*

*Religione animum cum turpi tangere parto,*

*Reddita sunt, cum odore, imprimis pleraq; dona.*

20 *tantum ne quid dissimulem, in vetustis libris euariat quòd contingere parato scribitur: ego cum tangere parto, emendo sensu poscete (nos enim sollicitos habet religio cum contra aliquid quæsiuimus) vel cum tingere parto, id est cum obturpe partum superstitione tingeris & imberis: alterum tamen prætulerim. Vsurpat & mulcare pro mulcere, quando, auctore Prisciano, mulceo mulsum & mulcum facit in supino: sic enim scribit,*

*Omnis enim sensus quæ mulcat causa iuuatq;*

*Haud sine principali aliquo leuore creata est.*

quidam etiam mulcat legunt, alij mulcat. verum mulcat apud Tacitum est lædit: & in antiquo lexicò lego mulcat, verberat, cruciat. Veteribus tamen libris & Dionysio Lambino assentimur, mulcet in Lucretio legendum esse. Sed iã satis hoc caput excreuit, eiusq; hic finis sit.

## CAPVT III.

40 *Tituilitium, eij, culex, remittere sub furca, lingulaca, certamen, exponere cubito, corbita cibi.*

**P**lautinum salem nostris interdum aspergimus studijs, quo fastidium illo velut cõdimento detergamus, vel tædium seuerè mulfæ leuemus. ex eius itaq; fabellis quæ non inutilia fore lectoribus credimus, interea enotamus, & in has paginas referimus: velut è Casina quædam hic excerpta sub signabimus. Sc. Vna ædepol opera.

*Non ego istud verbum emissim tituilitio.*

Tituilitium hic Festus li. 18. nullius esse significationis scribit, vt apud græcos nullius est *enivdales* & *enidupl*: sed auctor non contemnendus Fulgentius Textuilitium legisse videtur, cum lib. de voc. ant. ita scribat, *Textuilitium dici voluerūt fila putrida, quæ de telis cadunt.* hic ergo textuilitium rem vilissimam interpretor. tamen si videtur Festo effutitium temerè vocabulum ad vilitatis & contemptationis significationem, tamen origo ac natales, à quibus deducit

Habuuerit.

Fluuida.

Mulcare

Mulcat.

Tituilitium.

Inane vacuum.

deducit Fulgētius, magnam verisimilitudinē prae se ferunt. vt enim in textiulitiū vilitium inest vilitatis sententia: sic antegressam vocabuli partem sensus expertem de nihilo iactatam esse non est credibile: titi autem cū sensus nullus sit, & sit texti, textiulitiū dictum putemus. Sed si Fulgētium sequamur, in mentione versus vna erit syllaba supprimenda, dicendumque textiulitiū. In ea autem fabula <sup>Eij</sup> scribendum, vt prior syllaba producat, duobus his locis in prologo,

*Senex hic maritus habitat, eij est filius. Iterum, Sibi istam uxorem is sperat, si eij sit data.*

Sc. Omnibus rebus. inquit Plautus,

Culex *Eho tu nihili cana culex, vix teneor, quin quae decent Te dicam,*

hęc cū de amasio sene dicantur, sic mihi persuadeo, culicē hīc figuratē amatorē esse, quōd cū sua promuscide formosorū & formosarū cutem culices pertundant, & tanquam quodā siphone sanguinē eliciant, amore quodam eorum capti esse videantur. Meleager poeta li. 7. Epigrammatō, quādā zelotypia æmulatur culices, ac eis malum minatur nisi se Zenophila ipsius amica abstineant. sic enim dicit,

*— ἀσπρά τὴν ἀνὰ, ἢ γυμνασθὲν ἄλλοτε πρὸς δὲ ἀσπρῶν.*

Idem culici amoris internuncio ad Zenophilam mandata dat. Sc. Sine modo.

*Sine modo rus veniat, remittam ad te virum Sub furca in urbem, tanquam carbonarium.*

Furca aprati gestabatur carbonēs, & furciferi serui sub furca plectebantur, & in exemplū trahebantur. ærumnæ etiam furculę erant, quibus onera tollebantur ferebanturque. Non dubito autem quin *lingulacę* legi debeat, non *lingulacę*, si analogiam sequamur: sed consuetudinem expugnare difficile est. Itaq; vt nec *pastinacam* improbamus, sic nec *lingulacam* explodamus. Eam distinguere videtur Plautus à solea, de qua paulò antè locutus est: sed vt opinor, id tantum risus causa fecit, cū idē piscis sit, qui *βούβρα* Græcè vocatur: aut solea certa species erit, linguam bouis propius referēs. Quōd autem subijcit uxorem esse nimis *lingulacam*, vel potius vt editur, *lingulacam*, significat eam esse nimis argutatricem & verbosam & garrulam, & vt dicere solemus, *linguacem*. Obseruandum autem est, speciem spectamen & certamē eiusdem interdum prope significationis esse. nam certamen pugnam & dimicationem non semper significat. Sc. Nunc amici.

*Nunc speciem spectatur, nunc certamen cernitur.*

Fulgētius catillare in hac comœdia interpretatur esse, catellorum more circum domos ire & girare: Plauti verba sunt, Sc. vt properarem.

*Operam vxoris polliceor foras quasi catillatum.*

Alij tamen à catillone malunt vim verbi eruerē, quā à catellis deriuare. Reperitur & *catillæ* in antiquis libris, vt alio loco docemus. *Sculponeas* idem, quæ calceamenta sunt rustica in Catone cap. 59. & meo eriam iudicio in comico Plauto, idem tamen Fulgētius explicat cestos esse plumbo ligatos: verba sunt

Plauti, Sc. Sine modo.

*Qui quæso potius quàm sculponeas?*

at verò illud, Sc. Memora ordine. *sepit veste id, qui estis*, id est, obducit veste naturam eam qua mulieres sunt, quæque honestè non potest nominari. sic naturam qua mulieres sunt dixit Varro lib. 2. de re Rustica. Sc. Neque quò fugiā. legi in membranulis,

*Tanquam senex abs te decumbam,*

quod est, quasi essem maritus tuus, qui abs te decubarem, & Veneris furta clam tentarem. Illud, Sc. Vbi tu nunc es. in iisdem membranulis sic exaratum erat.

*— hac ibo caninam scæuam spero meliorem fore.*

hic scæua omen est & augurium, estque & bona scæua & mala. est igitur canina scæua, cū canis latrat, aut ringitur. ait enim minus grauem fore seni canis latratum, quā probra & contumelias & iurgia quibus ab vxore rixosa onerabitur: quod quidem & supra attigimus. Sc. Sensim super cubito exponere, pro cubito deijcere & prosternere, eleganter dictum est, quod sumptum est ab his, quæ nati exponuntur, vel mercibus, quæ expositæ sunt. Sc. Nec pol ego. corbitam cibi lego, nō vt editur, corbitant vbi: verba Plauti sunt,

*Ego noui illas estrices; corbitam cibi Comesse possunt.*

Corbitam autem cibi interpretor onerariam cibo refertam, vt Cicero nauem auri & paleæ dicit. nam corbitare verbum inusitatum & inauditum est.

CAPVT IIII.

*Ledere manes in Tibullo, dens clauis, dij magici, Bubastis, cista sacrorum.*

VELVT recensioem quandam nonnulli Tibulli locorum, & explicationē leuem & expeditam & succinctam hoc capite instituiamus. Eleg. 1. lib. 1.

*Tu manes, inquit, ne lade meos:*

hoc, vt opinor sentit, Noli ipsa tibi manus afferre in meo funere, noli radere tuas genas, dilaniare vestem, scindere comam. hoc enim si facies, me offendes, ladesq; manes meos. Ibid.

*Seu referat fixo dente puella fores:*

Dentes in clauibus dicebant: Germanicus in Arateo carmine,

*Qualis ferrato subigens clauicula dente, Succutit & foribus redducit vincula claustri.*

hic ergo, fixo dēte, est, inserta clauis. Eleg. 2. li. 1. *Sola seros Hecates perdomuisse canes:*

Hecaten veneficiorum præsidem veneficæ suffuro magico eliciunt, canibus comitantibus occurrentem, vt diximus: Horatius,

*— serpentes atque videtes*

*Infernas errare canes. Maro,*

*— visq; canes vlulare per vmbra.*

Tibul. ibidem,

*Concidit ad magicos hostia pulla deos.*

Dij magici sunt, dij inferi, Pluto, Proserpina, Hecate,

Canina scæua.

Exponere cubito.

Corbita cibi.

Ledere manes.

Dens clauis.

Dij magici.

Remittet re sub furca.

Lingula cani.

Certamē

10

20

30

40

50

60

Hecate, quibus immolabantur hostiæ furuæ. Ibidem, Sertaq; de sanctis deripuisse focis, id est, de aris, lego, non diripuisse. Eleg. 3.

Quid tua nunc Isis tibi Delia?

sanè Isis multa curabat valetudinum genera, & eius etiam tutelæ commissi erant nauigan res, vt Lucianus scribit: quibus nominibus eius sacra obiit Delia, peregre mari Tibullo profecturo. In eius deæ comitatu ex Ouidio didicimus fuisse Bubastin, quam secuti notationem nominis, ælurum diximus: verùm sic Diana ab Ægyptijs vocabatur: Nicarchus libro 1. Epigramm.

Bubastis.

Ἰσω βόβαστις λατρεύουσα, εἰ γὰρ ἰσείν

Τέλειται ὡς αὐτῆ, τίς θεῶν ἐστὶν λέγει.

10

Dum vehet annis aquas, hoc quadam dicitur phantasia, vt grammatici loquuntur, vel opinione, quasi amnes ipsi animati sint, & aquas portēt suas: Curtius, suas tantum aquas vehentem. Eleg. 6.

Effluit effuso cui toga lapsa sinu, vel fortasse laxa. qui laxius cingebantur, neq; togam arcto satis nodo adstringebant, & delicati habebantur, & amatores, vt Iulius Cæsar & Mæcenas, qui discinctus, malè præcinctus, & tunicam habere solutam dicebatur. Ibid.

— ducorq; capillis

Immeritò, proprias proripiorq; vias.

In eam immeritò, cùm innocens sim, ravior viam, qua veni ad amicam, & ab ea capillis correptus in meam retro reijcior viam. Iterũ, 30

Ducit inops tremula stamina torta manu.

In maximis numerabant malis, colo vitam misere tenuiterq; tolerare: Iuuenal. sat. 2.

Horrida quale facit residens in codice pellex.

Addit & Tibullus, in senectute, vt ex ætate quoq; mala accrescat cumulus ærũnis. eleg. 7.

Frigidus intonfos Taurus alat Cilicas.

hic intòfos Cilicas vocat, vt existimo, eos qui Taurum incolèbant, quæ pars trachea Cilicia dicebatur, montanaq; erat, populos intonfos & feros habens, quos asper mons alebat, non campus frumentarius. Iterum, 40

Et leuis oculitis conscia cista sacris.

Cista sacrorum.

Occultabantur in cistis orgia Bacchi & sacra Isis & Osiridis, & aliorum deorum arcana mysteria, & secreta mystica. Apuleius lib. 11. de asino aur. Ferebatur ab alio cista secretorum capax, penitus celans operta magnificæ religionis. vnde Martialis cistigeros vocat, qui & contemptui erant: eius verba sunt, — nupsisti Gellia cistigero. & mansisse hinc crediderim vocabulum Cistophori nummi, quod percussus esset forma cistam ferentis. Eleg. 9.

In cinerem, & rapidas munera vertat aquas.

Parum mediusedius abest, quin putem Tibulum versum Homericum esse interpretatum,

ἀλλ' ὅμοιο μὲν τῷ αἰετῷ ὁ ἄστυ ἦτορ γαῖα γέλοιο δὲ.

quod est, vos omnes terra & aqua efficiamini. Hæc ego è libro 1. Tibulli saltuatim collecta, bonorum iuuenum lectioni transmittere volui, quæ etli magna non sunt aut recondita, tamen vt humiles myricæ interdum, reptantesque per humum lasciuji hæderarum pampini, 50

& in tabernarum fronte promptæ merces, nõ in interioribus penetralibus & hypothecis latètes, homines delectant: sic bonos iuuenes nec obrectandi malignitate morbosos fortassis ista delectabunt.

CAPVT V.

Tytirus, auena, seruus ad pedes, pacta conuētaq; mercatura, venales, rectum libramentum, tuber, foro cedere, spōdere in incertum.

Tytirus apud Maronē calamo canit, & vt pastor, & quod tytiros etiam calamus est, auctore Hesychio: & tytirenus manaulus vel tibia calamina, quæ auena etiam dicitur. Tytirus.

Dum tua multorum vincat auena tubam, scribit Martialis lib. 8. epig. 3. & Maro eclog. 1. Auena.

Siluestrem tenui musam meditaris auena.

Ad Maronis locũ de calamo agresti respexit Seneca lib. 4. de beneficijs, c. 6. qui non calamo tantum cantare, & agreste atq; inconditũ carmen, aliquã tamen obseruationem modulari docuit. Ex eadem Senecæ officina hoc caput instrueretur, quasi liber ille huic capiti præbenda cõduxerit. Ad pedes serui dicebantur, qui ad dominorum cœnantium pedes stabant: Seneca lib. 3. de benefic. c. 27. Seruus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixisset. Martialis lib. 12. epig. 88.

Seruus. ad pedes.

Dum negligentem ducit ad pedes vernam.

Vnde & argutia illius epigrammatis li. 5. pendere videtur,

Omnia cùm retro pueris obsonia tradas

Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

Pactum est ex parte stipulantium: cõuentum, cùm quæ pepigerunt promissa sunt, de hisq; est conuentum: hac de causa pacta conuenta, & pacta conuentaq; legimus: antecedit enim pactum, sequitur conuentum: Seneca c. 25. eiusdem lib. nec pacta conuentaq; impresis signis custodirentur. Veteres mercaturam à mangonio separauere: Plautus in Trinum. Sc. Quo illhic homo. Mercaturam an venales habuit. Et lib. 4. cap. 13. Venales.

Seneca, mercator vrbibus prodest, medicus agris, mango venalibus. Libramentum rectum lib. 5. cap. 5. pro perpendicularo posuit sanè quam elegãter: eius verba sunt, modo exclusit totius aspectũ, si recto libramento inter solem terrasq; successit, id est, ad perpendicularum inter vtrunq; interposita fuit. Idẽ lib. 2. cap. 19. quæ tuber conuertit, tuber, inquit, quidam tyranni gladio diuisit, qui ad eum occidendũ venerat. vomicam Plinius eandem rem, cùm scriberet de Iasone Pheræo li. 7. c. 5. vocauit. Seneca lib. 4. c. 32. Hic corpore deformis est, aspectu foedus & ornamenta sua traducturus. Hinc illustratur Iuuenalis satyra vndecima, Rectum libramentum.

— in qua se traducebat Vlyses Ancipitem.

Foro cedere non aliud esse videtur, quàm æris alieni causa in forum non ventitare, & creditoribus non soluere, quod genus cessionis erat. Itaq; inter creditores bona diuidebantur: Seneca lib. 4. ca. 39. & appellare debitorem ad diem possum, et si foro cesserit, portionem feram, id tamẽ de argentarij

Foro cedere.

Spondere  
in incertū

argentarijs præcipuè dici solebat, qui mensam in foro habebant. Spondere in incertum ibidem apud Senecam, est non in certam numerorum summam, sed quantumcunque quis debeat fide sua iubere, quæ periculosissima sponsio erat: eius sunt verba, sed non si sponderi in incertum iubebis, si sisco obligabis.

## CAPVT VI.

*Abstit fullonem cõprimere, annuuit, ninguit, sarpa, hominem exiuit, flectere promuntorium,*

**A** Nimaduerti multa aliter à Grammaticis veteribus ex auctoribus proferri, quàm hodie edita cernatur: eorum quædam, & nonnulla alia obiter signabo, plura alij notabunt. lib. 11. Metamorph. editum est,

Abstit.

*Acyones lachrymas, & quæ pars admonet abstit.* ubi Priscianus lib. 9. abstit pro abstitit legit: sed & lib. 2. de Orat. legit, attendere & aucupari verba oportebit inquit: quod hodie secus excusum est. apud Terentium in Phormione, act. 5. Sc. 8.

Fullonẽ  
comprimere.

*Tum Antiphonẽ video ab sese amittere inuitum eã inque,* quod hodie nõ item percrebuit. vt apud Plautum in Pseudolo, Sc. Quoi seruitutẽ. fructus fullonius in obscenissima re ponitur: ita comprimere fullonem apud Priscianum li. 10. Neuius dicit in re fœdissima. Itaq; nomen fullonis in obscenis ponebatur, quod iã antè è Tertulliano annotasse me recorder: verba sunt Næuij,

*Quando ego plus sapiui, qui fullonem compressi quin quatribus.*

legit & lib. 10. in Terentij Adelphis act. 3. sc. 3. à cæpio cæperet,

*Prius olfecissem quàm ille quicquam cæperet.*

hodie diuersè scriptum est. Lapidibus pluuisse in Liuius lib. 2. 21. & 22. agnoscit, nos pluuisse: nam eodem modo annuo annui in præterito faciebat: Ennius,

Annuuit  
Ninguit.

*Annuuit sese mecum decernere ferro.*

*Interca toto non fecius æquore ninguit,*

in Virgilio 3. Georg. asserit, nos ningit legimus. apud Horatium lib. 3. od. 6.

*Non auspiciatos contudit impetus Nostris,*

in Prisciani scribitur libris: quanquam non constat an ita legerit. hodie in Horatianis exemplaribus *Nostris* editum est. Locus Varro nis egregius extat apud Priscianum lib. 10. de Pysyllis & ophiogenibus, quem & medius fidius adscribam. vt, inquit, *habent Parij qui vocantur* *ῥητῆρες*, & in Africa Pysylli, quorum Ophiogenes, cum arbitrantur suppositum esse in stirpe aliquem, si admoveant vt pungat colubra, cum pupugerit, si de genere sit, viuere, si non sit, mori. Rursum, Adnota asp̄is cum pupugerit, si non occidat, sciat ex Pysyllorum genere esse. In Plinio lib. 36. cap. 7. malè legi centeo in insula Cypro, pro, in insula Paro: quomodo & reperi in optimo exemplari. In Varrone de re Rustica, cum obliterunt vasa legit, non vt hodie. Apud eundem Priscianum extat verbum sarpo, quod est, puto: vnde vineta sarpta. inde nos hodie falcem vinitoriam qua ad pu-

tandum vinitores vtuntur, sarpam vocamus, Sarpam. sed fortasse tamen verius sit sarpã ab harpe duci, & sibilum vt plerunque in densum spiritum exasperari. atque adeo falcem lignatoriã sic vocamus, propterea quod cædit & putat arbusculas. legit & in Propertio l. 3. ad Cynthiã,

*At tibi qui nostro nexisti retia lecto.*

quod nunc aliter est. sed & in 1. de oratore Ciceronis, at *Asopum si paulum irrauserit explodi*: affirmat Priscianus: nos irraucuit mutauimus, nihil tanti Grammatici auctoritatem reueriti. Septima & vicesima Olympiade hominem exiuit, in Solino cap. 2. recipit: nos exiuit in eius locum reposuimus. *ῥητῆρες* dicunt Græci, nautica locutione, quod Latini flectere promuntorium: campfare promuntorium more Græcorum apud Priscianum dixit Ennius, etsi à cambio id deducit Charisius. verba sunt Ennij, *Leucate campant.* Est autem flectere promuntoriũ, circum promuntorium cursum flectere & nauigare: Cicero ad Atticum lib. 5. epist. 9. *Sed Leucaten flectere molestum videbatur.* & 2. de diuinatione, *Qui nauigant, in flectendis promuntorijs ventorum mutationes maximas sæpe sentiunt.* hæc pauca collegi, quæ exemplo & documẽto alijs esse possunt, vt ex antiquis Grammaticis eiusdem generis plurima eruant, quod quidem & perfacile est, & à quibusdam in multis auctorum locis eleganter iam factum esse scio. Legit idem l. 2. de natur. deor. *quo facilius id quod docere volumus intelligi possit: cum hodie volumus in exemplaribus reperiamus.*

Homine  
exire.Flectere  
promun-  
torium.

## CAPVT VII.

*Reperitius ciuis, reptitius, absque carnificis nomine, ancillaris, in Salustij oratione in Ciceronem legendum.*

**C**ircumfertur oratiuncula amarissima nomine Salustij in Ciceronem, & Ciceronis in Salustium pari & acerbitate & petulantia vel scripta vel habita: quanquam de auctoribus nostri Grammatici altercantur, & eorũ quos nominaui non esse, nullum arbitrium recusantes contendunt. quibus ego fidem haberem, nisi me reuerentia sui in diuersam sententiam Quintilianus traheret, qui ita scribit l. 9. c. 3. & apud Sallustium in Ciceronem, *O Romule Arpinas.* veruntamen in Salustio reperitius appellatur ciuis per contumeliam, qui non est origine ciuis, sed iure, vt in ciuitatẽ receptus, quo iure municipes erãt. Reperitius igitur est qui ortu non est, sed tanquã reptus ciuis & quefitus. alij tamẽ reptitius legunt eleganter, vt per contumeliam irrepsisse in ciuitatem dicatur: quidam irreptitius: non deest etiam qui reperitius, quasi is sit, qui cum se ciuem Romanum ferat, ab alijs repetatur. sed reperitius, quod in veteribus libris perscribitur, vt ingenuum & verũ, suo in familiari lare libentius retinuerim quàm summouerim. Ibidẽ, *vxor sacrilega ac periuriis delibuta.* in bonis libris debilate reperio, vt cum egritudine pedũ Terentia sæpe laboraret, eã valetudinẽ ei ob periurij pœnã à dijs immortalibus immisissam

Reperitius  
ciuis.reptitius  
ciuis.

Abſque  
carnificis  
nomine.

immiſſam innuere videatur. M. Craſſi viri Conſularis, mallem, M. Craſſi viri clariffimi. Abſque carnificis, autem, nomine, eſt cum ſe carnificem nominare deberet. Sed & legis Plautiæ, nõ Plan- cia legendum arbitror. Et, alius Tuſcalaniam, alius Pompeianam villam. Ex M. Craſſi familia dicit, & quòd in Craſſi domo Cicero habitabat, & quòd quaſi ex eius familia eſſet, Craſſi inſtituto multos inſimos, & Remp. ſæpe contra nobilitatem, nobilium ſimultatem negligens defendebat. hoc enim Craſſum feciſſe Plutarcho cognouimus. quid tamen ſi legamus? ex M. Craſſi familiaritate. Pro noſtrorum omnium, omnino melius & Latinius eſt, noſtrũ omnium. &, obliuiſci ſeruitutis turpiſſimæ, legendum videtur, cum in antiquo libro tuæ prius ſcriptum ſit, in quodam etiam ſuæ. Egeris oro te Cicero, valet, ſane egeris: eſtque, oro te, non obſecrantis, ſed concedentis. Cui inſidias in ciuitate feciſti ancillares? apparet ex aduerſaria oratione legendum eſſe ancillaris, cum in ea ſcribatur, nulli priuatim ancillatus ſum: idque de Pompeio intelligendum arbitror, cui inſidiatum Ciceronem fuiſſe opinio fuit, quod & Pompeium à Cicerone abalienarat, vt ab eo diſtitutus fuerit, cum armis pulſus à Clodio eſt: reuerſus tamen ab exilio modis omnibus ſibi Pompeium colendum, & ei inſeruiendum eſſe putauit, quod hic ei obijcitur. Paulus quoque Manutius vir eruditiffimus & intelligentiffimus ancillaris legendũ cenſet.

Oro te.

Ancillaris.

#### CAPVT VIII.

Absentia, puer Iunonius, ad rudem compellere, adſtipulator.

Dolentiſſimè ſcripta eſt epiſtola ad Octauium, qui optimatibus proditis arma in Rempubli. conuerterat. Eius initio ſtatim reperio in codice manu ſcripto, nulla remedia quæ vulneribus adhibentur non faciunt dolorem, quamuis ſint ſalutaria. hanc ego ſcripturam diſſimulare non potui, fortasſe recepta accommodatio- re. In eadẽ epiſtola, absentia ſunt futura, cum ſcribitur, & absentium ſenſus ſignificatio. iam enim de præſentibus & præteritis erat loquutus. Reperio & in ſcripto libro, abſens pro me expoſtulem tecum: atque ita dico pro me, ſi ſalus mea. iſta ſecus aliquanto edita ſunt, nec tamen hæc quæ protuli, indigna luce & publico credidi: quæ con- demnata ab eruditis ad blattas tineasque lucifugas, denuò reuertentur. Lego autem indubitanter, aut ſi nulla ratione publicis. Reperio in veteribus monumentis, donabat ciuitates immunitate & nationes, ex cõmentario dictaturam gerebat. & mox, prohibebat dictatorem creari, ipſe regnabat in conſulatu, vnus prouincias omnes concupierat. Obſecro quis queri poterit per me huic ſcripturæ publicum videre licere? quis expoſtulabit meritò, quòd à me ab exilio aut deportatione reuocata eſt ſi reſtitutio doctis non placet, iterum deportabitur in inſulam vltimam. Pro, vt tunc quidem optimus, reperio, vt nunc quoque optamus, & pro, aſſe-

etiam & proſtratam, desperatam & afflictam: &, immemor beneficij tui, non vt excuſum eſt, beneficij ſui: atque tui aliquanto melius eſt & Latinius, niſi, vt in quodam libro reperi, accuſandi caſu legas, ingratum & immemorem. Quis eſt in eadem epiſtola Iunonius puer? an felix & fortunatus, ex eo quòd Iuno felicitatem & diuitias promiſit Paridi, ſi pro ſe iudicaret? & non putem. an, vt quibuſdam videtur, eſt delicatus & delicijs innutritus? minimè gentium. An potius fortunatus & felix velut Iunonis eęlitum reginæ filius: vel qui beneuola & propitia Iunone Lucina natus eſt, quæ partibus præeſt? Et veriſimile fuerit, præſertim cum mox eum aureum partum appellet. ſic que Iuno connubijs præſidet, Virgilius ſcripſit 4. Æn.

Iunonius  
puer.

Dijſ equidem auſpicibus reor & Iunone ſecunda.

nec enim cenſuerim eſſe ad Martẽ reſpectum, quem Iunonis filium fuiſſe fabulę loquuntur. Pro, quis tanta erit animi facultate, repono, auctori- bus libris antiquis, quis erit tanta animi facilitate. eſt enim hic facilitas credulitas. quis, inquit, tã credulus & facilis erit, vt iſta memoriæ propagata & hitoriæ mandata crediturus ſit? dicitur adſtipulator hac epiſtola fuiſſe pater Auguſti: adſtipulator autem erat, qui ſtipulanti accedebat, idemque ſtipulabatur, vt pacta & conuẽta eſſent firmiora, magisque cauta & rata: ac in foro Romano circum argentarias homines erant, qui adſtipulandi quæſtum exercebant, præſtoque erant ſtipulantibus & paciſcẽtibus. adſtipulator in antiquo Lexico

Adſtipu-  
lator.

exponitur, id eſt, qui præter ſtipulatore- rem interrogat atque ſtipulatur. Cum ſcribit, Ille tamen exorabat: multa ſunt ſubaudienda, vt, quamuis enim regnaret Antonius. Pro, ſepultæ reliquiæ, quod vehementer approbo, ſepultura re- perio, quod etiã non damno, deterius tamen iudico. & mox, qui proximè in illam æternam domũ deceſſerit. reperio etiam, conciliaſſet eam potentiam, ſed forma per dedecus pecuniam & nomen nobile conſe- leratum impudicitia dediffet. obijcit enim ei impudi- citiam, que ſtupri nefandi cõſuetudine adoptio- nem auunculi & hæreditatem ſit meritum. Sed quid eſt ad rudem compellere? nempe eſt rudis & miſionis ſpe gladiatores congregare, vt compelli pecus dicitur quod congregatur: rude autem donati ferro dimicare non cogun- tur. hinc illud Ciceronis de opt. gen. orat. non enim in acie verſatur & ferro, quaſi rudibus eius eludat oratio. Charifiſius lib. 1. inſtit. Gramat. Rudis ſcipio quem lanilla liberandis gladiatorib. gerit. ſignificat igitur Octauianum promiſſa rude, exercitum è gladiatoribus Iulianis coegiffe: ac intellexit veteranos, quos è colonijs euocauit Auguſtus, quos, quòd eorum aliqui gladiatores for- taſſe fuiſſent, aut etiam ad contemptũ & prob- brum, gladiatores appellauit, & ad rudem & præmia conueniſſe intelligit. dotale autem matrimonium dicit, quaſi nupſerit Iulio Octa- uius, eique vt vxori legitimæ imperium Iulius legauerit. Hæc à paupere domino ſunt Muſis humanioribus libamina ſacrata.

Ad rudẽ  
cõpellere.

CAPVT IX.

Oetum, cici, & quædam alia in Plinio obseruata.

**I**N amplissimis illis & feracissimis Plinij no-  
 lualibus quæta, dii vestrâ fidem, succreuit tri-  
 bulorum, lapparum & lolij copia: sed earum  
 infelicium herbarum purgatio maiorem ali-  
 cuius agricolæ diligentiam studiumque desi-  
 derat, nō hanc nostram perfunctoriam leuē-  
 que operam. Interim si potero locos aliquot  
 perpurgabo è vigesimoprmo libro, quædam  
 etiam declarabo, quædam tantum compara-  
 bo. mandunt, inquit cap. 15. de Ægyptiis loquēs,  
 Oetum. *Oetum, cui pauca folia minimaq; verum radix magna.*  
 Illud oetum quod genus herbę sit quotus quis  
 que scit: ne ipse quidē gloriabor me scire, cum  
 præsertim herba Ægypto peculiaris sit: sed  
 quid de ea legerim vel suspicer potius, attingam.  
 Oetum esse suspicor, quē Theophrastus  
 lib. 1. hist. plant. cap. 1. vingum appellat, his ver-  
 bis, *ἡ γὰρ οὐκ ἔστιν ἄλλο γένος ἢ τὸ τοῦ κύνου* \* *οὐκ ἔστιν ἄρα χιθωνία, ἡ γὰρ*  
*τὸ ἐν αἰγύπτῳ λεγόμενον ἕτερον.* Sed & Hesychius scri-  
 bit, *ἡ γὰρ οὐκ ἔστιν ἄλλο γένος ἢ τὸ τοῦ κύνου*. quanquam in eo  
*αἰτὸν* scribitur & *δὲ τὸν*, quod vtrunque mendo-  
 sum reor: aut apud Theophrastum *δὲ τὸν* non *ἕτερον*  
*γόνου* scribendum. Magnam autem mihi conie-  
 cturam mouet vingum esse oetum, quod vt  
 Theophrastus vingum & arachidnam coniun-  
 xit, sic Plinius oetum & arachidnam. *Aphace*,  
 inquit ibidem Plinius, *acinos quam vocant, epipetron*.  
 scribendum reor, *Aphace, cynops: epipetron*  
*vocant, quæ nunquam floret.* Theophrastus libro 7.  
 cap. 8. *οὐκ ἔστιν ἄλλο γένος ἢ τὸ τοῦ κύνου*: oculum caninū  
 vertit Theodorus. Paulō post de epipetro scri-  
 bit, *οὐκ ἔστιν ἄλλο γένος ἢ τὸ τοῦ κύνου*. Cele-  
 brant, inquit Plin. *cnicon Italia ignotam, ipsis autem*  
*oleo non cibo gratam: crediderim scribendum ci-*  
*ci, id est ricinum, vnde cicinum oleum apud*  
*Ægyptios exprimebatur, vt, ne testimonia vn-*  
*dique hostiatim corrogem, hunc & illum au-*  
*ctorem appellando, vno ore omnes scribunt.*  
 Sequenti capite scribit Plinius, *Cnidos, polyacanthos*:  
 emendandum Theophrasto auctore arbi-  
 tror *cnecos* pro *cnidos*, vt & paulō post idem  
 verbum nequam & nihili eiiciendum, vno au-  
 tem caule nec ramosum *cnidos*: legendum enim *cnecos*.  
*Anthaliū*, inquit cap. 15. *longius à flumine na-*  
*scitur: in Theophrasto, μακρινὰ ἀλάλη, scribitur libro*  
*4. cap. 10. φέρται μακρὰ γὰρ ὁ λαλῆται μακρινὰ ἀλάλη.* Capi-  
 te 17. pro *chondrilla* Plinij in Theophrasto li-  
 bro 7. capite 7. legitur *αὐθιγὰ*, quod sequitur  
 Theodorus: sed falsi suspecti sunt Theophra-  
 sti libri, cum libro 7. eiusdem libri multo prop-  
 rius ad verum legatur *ἡ ἄρα ἢ χωνδρῖς*, vbi chon-  
 drillam Plinius scripsit, *Chandraliam* vertit  
 Theodorus. Quod Plinius cap. 15. *anthriscum*  
 appellat, vel potius Plinij libri, *οὐκ ἔστιν ἄλλο*  
 Theophrastus ibi nominat, & fortasse fidelius. sed  
 & omnibus in locis apud Theophrastum *ἕτερον*  
 legitur, vbi apud Plinium cap. 16. euulgatū est  
 helxine: sed & vbi in Plinio eo capite editum  
 est, alteri *arenaccum*, in Theophrasto, vnde mu-  
 tuum sumpsit, *σποσμοσθεῖς* scriptum extat, quod

est sesamaceum. Ibidē in ononide sic Plinium  
 emendo, *sequitur arata frugibus inimica viuaxq; præ-*  
*cipuē.* Sed hæc satis sint libanti præsertim, &  
 eorum conuiuarū more qui fastidio laborant,  
 aut mulierū quæ malacia, leuiter degustanti:  
 eadem scitamēta auidius confectetur, qui ma-  
 iore eorum appetentia ducitur.

CAPVT X.

*Ille Iupiter, liquidum, liquet, liquidus animus, terram tangere, Herculem inuocare, tam placidus quàm aqua.*

**C**VM Iouis nomine veteres pronomen il-  
 le sæpe iungebant, quod aut demonstnan-  
 do faciebant, vt lucefcit hoc iam: cælum enim  
 ostenditur: vel amplificando: Plautus in Mo-  
 stellaria, Sc. Iupiter supremus. *ita ille iaxit iupiter:*  
 videlicet, vel qui illic est in cælo, vel præpotēs  
 deus. Amphitryone, Sc. 1. *quod ille faciat iupiter.*  
 Curgulione, Sc. 1. *nec me ille sirit iupiter.* Turbare  
 & liquare contraria sunt, & in liquore ponun-  
 tur, inde ad alia transferūtur: vt, liquida æthra  
 dicitur, quæ opponitur turbido aeri: Plautus  
 in Mostellaria, Sc. Melius hoc anno.

Ille Iupiter.

Liquidū.

*Tam liquidus est, quàm liquida esse tempestas solet.*  
 Liquidus ignis, purus, tenuis clarusque est.  
 inde liquidum auspiciū, cum sereno puroq;  
 cælo certum nec dubium auspiciū nobis o-  
 stenditur. In Epidico, Sc. At at tacete.

— liquido exeo foras auspicio aui sinistra.

& in Pseudolo, Sc. Dulcia atque.

— aui sinistra auspicio liquido.

Liquet enim, turbido & fecato opponitur.  
 Plautus ibidem,

Liquet.

Nunc liquet, nunc defecatum est.

Hinc animus defecatus, in quo nihil est turbi-  
 di, nihilque molestiæ. In Aulularia, Sc. Nunc  
 defecato.

Nunc defecato demum animo egredior domo.

vinum enim defecabatur faccis transmissum,  
 & liquidum è turbido reddebatur, vnde istud  
 translatum: & animus liquidus, modò non  
 perturbatus, ab aeris statu metaphora ducta,  
 vt in Epidico, Sc. Malè morigerus.

Animus liquidus.

Animo liquido es & tranquillo, tace:

modò nō sollicitus, vt Pseudolo, Sc. Nō audis.

— bene curas liquidus animo es.

Sed quod dixeram turbare & liquere contra-  
 ria esse, apparet è Mostel. Sc. Iupiter supremus.

Sicut ego efficiam, quæ facta hic turbabimus, Profecio vt liqueant omnia & tranquilla sint.

Inde turbare rationes & cõturbare per trans-  
 lationem vsurpari crediderim. In eadem Mo-  
 stellaria, Sc. Habeo Neptune. editum reperio,

Dij te deaq; perduaxint cum isto omine.

Sed si legitimos senariorum numeros teneo,  
 si Latine aliquantulum scio. pro perduaxint, per-  
 duint, non dubitanter teponam. Sequitur non

Tangere terram.

longè, *Tangite vos quoque terram.* genus quoddam  
 venerationis erat & cerimonie superstitionis-  
 que, terram tangere: Varro de re rustica lib. 1.  
 capite 2. *hoc ter nouies cantare iubet, terram tangere,*

desuere, ieiunum cantare. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 9. Cum tellurem dicit, manibus terram tangit. Simile est illud Ciceronis de Aruspicum responsis, aut puer ille patrimus, aut matrimus, si terram non tenuit. In eadem scena scribitur, Atque Herculem inuocabis: credo quod à Græcis Hercules cognomento *ἀνδρῆσιμον*, id est malorum depulsor coleretur: veterator autem seruus, qui miris modis herum ludos facit, ad depellendum laruarum & lemurum periculum, herum quem tertravit, vt Herculem inuocet, monet. Sc. Scelstiozem ego.

Hercule  
inuocare.

*Quid tute hominem hominum omnium teterrime,  
Venisti huc extentatum,*

valet ferè, ostentatum. vt enim ostendere valet tanquam se obtendere, quod est antè: sic extendere est extra modum se tendere. extentatum igitur est extensum vocem tuam. antè enim dixerat,

*Euge strenuè. iam appetit meridiès.*

id non temerè dictum. nam & Danistæ dixerat seruus, vt circiter meridiè rediret, & alioqui post meridiem non ferè quicquam rei Romani incipere solebant, præsertim magistratus, nec pacisci: Plutarchus, *τὸ μὲν περὶ ἡμέρας ἀφ' ἧρας πωδῶνας μὲν δὲ ἡμερολογίαι μὲν δὲ μῶρον ἡμῶν*. Sc. Melius hoc anno. *Quid ille consomniauit, haud paulò finalim, quàm consummauit, vt sit, quid cogitauit, quid somniauit.* Sc. Nunc ego illum.

*Tam placida est quàm aqua.*

Tam placidus  
quàm aqua.

nam aqua dicitur, cum æquata est, vt in tranquillitate, vnda in tempestate. Sc. Quid tibi.

*Vidisse nunquam abiectas ædes.*

crediderim esse scribendum *abiectas*. abiectas enim dicit vilissimo pretio venditas, vt nò tam venditæ videantur fuisse, quàm proiectæ. Ibidem, *Dij immortales mercimonij lepidissimi*, Græca locutio est, in qua subticetur causa: quod qui Græca primoribus gustarunt labris, quid valeat, intelligunt. Hos tanquam flosculos legens & ferrum contextes, non tamen nimium lepidum, admixtis etiã vrticis, vt lasciu nonnulli solent, quò ludo fruantur, nobis parabamus, quod etiã aliis transmitteremus, quibus si iniucundè fragrabit, operam tamen coronarij gratuitam boni consulere debebunt.

C A P V T X I.

*Trybllum, fontinalis, batiaca, bene me bene te, da puer auguris apud Flaccum, Vertitur cadus.*

**D**iuertere in Plauti facerem scenam libet, & eius in theatro fabulam spectare, Stichum, in qua, Sc. Agite ite foras. dicit,

*Hoc conuiuium est pro opibus nostris satis commodulè,*

*Nucibus, fabulis, ficulis, olea interrupto lupillo.*

in his quod postremum est, propè ab ipsa tota cauea exhibatur. Ioachimus Camerarius Germaniæ ornamentum & Europæ decus, qui per bonam huic Comico nauauit operam,

in teriplo se reperisse in veteribus libris testatur. ego ex eo emendo, *tryblio*, quod verbum Græcum quidem est, vsurpatum tamen à Latino Varrone est, & catinum significat. fabulas autem & lupillum pro fabis & lupino dixit per diminutionem. sed & mox, cum minuto crustulo libentius duobus verbis quàm vno coniuncto legerim. sequitur non longè,

*Quid istud est prouinciæ. St. vtrum fontali*

*An libero imperium te inhibere maui?*

ego Fontinali lego, quem deum fontibus præfuisse ex eo conicio, quod fontinalia eius facta dicerentur à Romanis. Itaque & fontinalium nomè & trochaici versus dimensio satis præstant, quod emendauit rectum & inculpatum esse. Nomina poculorum Græca sunt in eadem fabula, scaphium, cantharus; batiola: sed hoc postremum sic appellatum à Nonio, Athenæus lib. 11. batiacam vocat & batiacium. Batiaca.

affert enim è Diphilo, *ἡ ἀρχαία πρὸς τῆς βατιάκης λέξις*. & mox subiicit, *ἀπὸ τοῦ ἡμῶν ἀνακτοῦ ἀπὸ τοῦ βατιάκης*. & libentius assentiar Athenæo quàm Nonio, præsertim cum quædam etiam Plauti editiones *batiocis* hodie exhibeant. Legem bibendi proponit seruus, vt olim solebant in conuiujs, vt tot cyathos bibant quot digitos habent in manu, id est quinque: tot enim sunt in manu digiti. Itaque subiicit Græcam cantionem, *ἢ πέντε πίνε ἢ τρεῖς πίνε ἢ μὲν τὸ τῆρα*.

20

quod valet, aut quinque bibe, aut ter bibe, aut ne quatuor. In Athenæo legitur, *ἢ πέντε πίνε*, id est tria bibe, quod integrius puto: cantionemque interpretatur de vini temperatione, quinque vini cyathorum ad duos aquæ, aut trium ad vnum, quo sensu nò videretur accepisse Plautus: sed ad quinque tantum cyathos vini retulisse, quibus non duos aquæ cyathos, sed semicyathum misceri iubet. Nam quinq; cyathorum decima est semicyathus. Sequitur autem protinus, *Tibi propino decima fronte*, quod valet, aquæ decima parte. Solebant autem prisca in bibendo bene sibi & iis quos amabāt aut charos habebant precari: Tale illud ibi, *bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium*: ac more Græco velut per infinitiuium ita extulit, subaudito verbo precor, bene nos viuere & valere. sed & propter suos aut amicorum successus bibere consueuerant, vt Horat. lib. 3. ode 19. *Da puer auguris Murenæ*, quod est Græco more dictum, causa subaudita. id est enim, propter auguratū Murenæ, vel interprete Aufonio, qui in epistola præposita edyl. 15. ita scribit, *in qua propter mediã noctem & nouam lunam & Murenæ auguratū ternos ter cyathos attonitus petit vates*. Inter libandum etiam bene eodem modo precari solebāt: Ouid. li. 2. Fast. *Et bene nos, bene tu patrie pater optime Cæsar,*

30

*Dicite suffuso per sacra verba mero. Ead. sce. Tamè nos efficimus pro nostris opib. nostra mœnia.* dicit comicus in serui persona eorū imitatione, q pro suis opibus & facultatibus nò deesse se Reip. prædicant, sed se munera facere dicunt, & de patrimonio fungèdis muneribus impendere. mœnia em̄ pro muneribus dixit antiquè.

40

*Scribendum*

50

*Scribendum*

60

*Scribendum*

60

*Scribendum*

60

*Scribendum*

Tryblio.

Fontinalis.

Batiaca.

Bene me bene te.

Da puer auguris.

Scribendum mox crediderim, *amicæ vter vtrubi accumbamus?* Ibidem, *Quâuis de subito vel cadus verti potest, valet exhauriri, quæ enim exhauriuntur vertuntur: hinc verius ille Lucilij,*

*Vertitur Oenophoris fundus sententia nobis.*

& apud Horat. lib. 2. satyr. 8.

*Inuertunt Aliphanis vmaria tota.*

Hæc ex illis Plauti spectaculis obiter annotabamus, sed aulæum tollemus, & hic finem capitis faciemus.

## CAPVT XII.

*Fortuna huiusce diei, encrinomenos, probatio athletarum, Simo, Hercules octæo habitu.*

Fortuna huiusce diei.

Fortunam cognomento huiusce diei à Romanis cultam, à Catulo dedicatam è Plutarcho in Mario nouimus: eius & apud Cic. 2. de Legib. mentio est, & apud Plin. lib. 34. cap. 38. duobus locis, sed veluti de cælo tactis aut fideratis: eos proferam. *Quam, inquit, Romæ Acmilij Paulus ad eadem Fortune dedicauit. Item duo signa, quæ Catulus in eadem æde posuit palliata, scribendum attestantibus veteribus exemplaribus, ad eadem fortunæ huiusce diei dicauit. Rursum, cuius signa ad eadem Fortune huiusce diei sunt seminuda, lego, huiusce diei sunt seminuda. Illud quoque sincerum fore ita restitutum crediderim, Athenis Satyrum, turmam Alexandri, amicorumq; eius: non enim satis probare possum genus loquendi, vt Satyrorum turma dicatur. quod si præter rationem linguæ quis etiam testimonium desiderat, is ita habeat, me vt scripsi sic in optimo codice legisse: cuius equidem auctoritatem linguæ Latinæ elegantia subnixam pro nihilo putare non debui. Æquè illud eidem codici acceptum feretur, quod receptum est: *prælium equestre: simulachrum Trophonij ad oraculum. Idem inquit Plinius, Catagufam & ebrietatem & Liberum patrem. quæ est obsecro ista catagufa? vtrum quæ lunam beneficiis & cationibus deducit? an potius quæ pensa deducit, vnde & *λύτρυμα?* hoc posterius equidem ad veritatem propensius crediderim. Alcamenes, inquit, Phidie discipulus, & marmorea fecit, & æreum pentathlum, qui vocatur encrinomenos. encrinomenos vocatur, qui athleticis adnumeratur, id est, qui in eorum numerum recipitur: vnde & *ἐγκρινόμενος* dicitur: probationem athletarum vocauit Cic. lib. 1. Offic. probabantur enim vt reciperentur & accenserentur. eius verba sunt, *Atqui hoc idem Sophocles si in athletarum probatione dixisset, iusta reprehensione caruisset. Legendum in eodem auctore paulò antè crediderim, Item *σφησάμην σφιλυμένον* oportam, id est coronantem mulierem fecit, & sordidum autumnum. nam & Ouidius 1. Metam. scripsit,***

*Stabat & autumnus calcatis sordibus vis.*

Ibidem Plinius, idem equitem Sarmenem, qui primus de equitatu scripsit: quis non è libro Xenophonis de re equestri intelligit Simonem esse legendum? iuxta, inquit, rostra Herculis tunicati, eleo habitu Romæ, torua facie sentienteq; suprema in tunica.

Encrinomenos.

Probatio athletarum

Simon.

illud eleo habitu ideò suspectum est, quòd à scriptura recedit antiqua, quæ est, *soleo*, ad augurum aliquem deferenda vel coniectorem: eam ego cum amico meo viro longè doctissimo ostendissem, *ioleo* legendum suspicabatur: ego octæo Plinianum haud dubiè affirmauerim. Oetæus enim habitus illa tunica molesta vocatur à Plinio, quæ tabe veneni imbuta visceribus eius inhæsit, tantosque cruciatus exci-  
10 tauit, vt in pyram ardentem sese coniicere maluerit, quàm tantum dolorem diutius perferre. Hæc tamen mea, quod iam sæpe testatus sum, & nunc repeto, pro senatusconsulti auctoritate haberi minimè velim. tam liberum aliis sit rectè sentire, quàm comminisci impunè mihi licet: hæc enim meorum indicatura est, hoc præteritum, & ab hoc præconio aliis commendata esse velim.

Hercules octæo habitu.

## CAPVT XIII.

*Sicelides Musæ, si canimus siluas, regnat Apollo, magni menses, menses vertentes, menses lunares, Iouis incrementum, & quadam alia ex 4. ecloga Maronis.*

Quibus in locis nobiles poetæ versati sunt, eos posteritas Musis consecratos in suis poematis sæpe appellauit: quòd crediderint exceuilisse illos poetas prius numeris nõ potuisse, sine dearum illarum instinctu. Sic Pieria & Libethra propter Orpheum, Helicon propter Hesiodum obtinuerunt, vt illinc Musæ à poetis exordientibus deducerentur, quibus etiã in locis illis ædes fuit. sic ob Theocritum Siculas inuocat musas Maro 4. eclog.

*Sicelides musæ paulò maiora canamus. Ibidem, Si canimus siluas, siluæ sint consule dignæ,*

sic dictum interpretor, vt si Bucolica cantusq; pastoritios canit Maro (nam pastores in siluis pecus pascere solent) eum tamen operam dare debere, vt tamè dignum sit consule Pollione. quod enim de siluis prouincia consulum hinc solent nugari, à sententia poetæ abhorret. Eusebius autem in Constantini Imperatoris vita existimat quæ à Sibylla de Christo prædicta fuerant, filio Pollionis attributa esse à Marone, quod & verum existimo.

*Casta siue Lucina, tuus iam regnat Apollo:*

exponi video de Augusto, quod verum nõ puto, cum sensus sit, Faue Diana nascenti puero, qui carmine Sibyllæ prædictus est, cui vaticinationes inspirauit Apollo. nam puero nato regnat Apollo, eiusque prælagia nunc comprobata certaq; fidem merentur & vigent. Incipit autem principium magni anni, quem cecinit Sibylla, procedere & decurrere consulatione Pollionis, quo nascitur ille puer: & procedent magni menses, non Iulius & Augustus, vt stultè multi blaterant, sed menses magni anni. Nam vt magnus ipse annus dicitur, sic eius magni menses. itaque quemadmodum annus vertes duodecim tricenu plus minus dierum

Sicelides musæ. Si canimus siluas.

Regnat Apollo.

Magni menses.

Menses  
vertentes.  
Menses lu  
narcs.

menses habet: sic & magnus annus duodecim  
dimerata & descripta habet mensū spatia, quę  
aliquot secula complectuntur. vt autem in an-  
no magno sunt menses magni: ita in anno ver-  
tente, menses vertentes, qui à lunaribus disse-  
runt. Vitruuius lib. 9. c. 4. Luna die octauo & vicest-  
mo & amplius circiter hora cœli circuitiōnem percurrēs,  
ex quo cœperit signo ire, ad id signum reuertendo perficit  
lunarem mensē: Sol autem signi spatium, quod est duode-  
cima pars mundi, mense vertente vadens transt.

Ille, inquit Maro, deū vitam accipiet:  
de Salonino perspicuum est dici, cuius nata-  
les inciderunt in principium sæculi aurei, quo  
homines sublatis sceleris propè vestigiis vi-  
tam deorum viuebant: Hesiodus lib. 1. 47.

Natus autem, inquit, Saloninus homines no-  
stræ ætatis heroas quosdam cum diis pœmix-  
tos videbit. nā in illa probitate & integritate  
sæculi aurei deos eū hominibus versatos esse  
credebant, quod rursum futurū gloriatur poe-  
ta reuerso eodē sæculo: Catul. in epitha. Pelei,

Præsentēs namq; ante domos inuisere castas  
Sapius, & sese mortali ostendere coctu  
Cœlico: & nondū spreta pietate solebant. At illud,  
Aspice conuexo nutantem pondere mundum,

Conuexū

valet rotundo, vt

Conuexa polus dum sidera pascet,  
cūm 1. Æneid. ait, globosa & rotunda intelli-  
git, et si alio etiam modo explicari posse dixi-  
mus. Orbem Pollionis virtute pacatū rectum  
iri à Salonino adulatoriē dictum est, vt & hæc  
omnia. cūm enim fingat Pollionis fastos prin-  
cipium fore reducis aurei sæculi, eius virtute  
pacatū iri orbem dicit, omni scelere belloq;  
compresso, quorum vestigia quidem vix reli-  
qua erant.

At simul heroum laudes & facta parentis

iam legere:

cūm ait, de hominibus suæ ætatis, vt heroibus  
loquitur, vt aureo & heroico sæculo reuerso,  
quorūm res & præclara facta leget adolescens  
Saloninus.

Iouis in-  
crementū

Chæra deum soboles magnum Iouis incrementum.  
Saloninum vocat Iouis incrementum, vt ab  
Ioue educatum, à quo reges educari opinio e-  
rat, qui idē ab Homero vocantur. ma-  
gnū igitur Iouis incrementum, est magnus Io-  
uis alumnus: Apud Apul. lib. 5. de Asin. aur. ni-  
mirum illud incrementum lenam me putauit, cuius mon-  
stratu puellam illam cognosceret: de filio suo Cupi-  
dine Venus dicit, vt sit rō rō dēpūa.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem:

Arride puer matri, vt & eius elicias risum. ri-  
dentibus enim puerulis libenter adrident ma-  
tres. Nam Vulcanum, cui parentes non adrise-  
runt, nec Iupiter dignatus est mensa, nec Pal-  
las cubili, quod infaustissimum ei fuit. nē igitur  
tibi idem eueniat, ride vt arrideant. Veram  
igitur puto Quintilianī sententiā lib. 9. cap. 5.

— qui non risere, parentes

Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili:  
legentis, & vt distinxī, interpungentis, inter-

pretantisq; Ex his qui nō risere, pareres deus  
& dea dignati non sunt hunc mensa & cubili.  
ita dea nō Minerua intelligitur, sed Iuno, quæ  
ei lectum non posuerit. alij de Genio & Iuno-  
ne intelligunt.

tam noua progenies cœlo demittitur alto:

de Stoicorum sententiā dictum est, qui in  
post deflagrationē cadere de cœlo se-  
mina dicunt, quibus hominum instauretur ge-  
nus: qua de re scribit Cic. 1. de Legibus, & 1. de  
nat. deor. semina deorum decidisse de cœlo putamus in  
terras, & sic homines patrum similes extitisse vellem dice-  
retis, deorum cognationem agnoscerem non inuitus.

### CAPVT XIII.

Automata, amphielictra, pes porrectus, pes  
cōstratus, pes quadratus, horologia anaphorica.

**D**IV multumq; dubitavi, quæ essent apud  
Vitruuium Engibata, lib. 10. ca. 10. cumq;  
illius vocis originē neutra in lingua viderem,  
nec viris doctissimis illis quidē, verūm nullo  
testimonio sententiā confirmantibus suam,  
qui censent esse machinas quibus imaguncu-  
læ mouentur assentire: velut ad incitas reda-  
ctus, ad sacrā confugi anchorā, id est ad quod-  
dam veterum librorum oraculum, quorum ex  
adytis hæc verba retuli: alie quæ ab eo liquore pres-  
sionibus coacto spiritu efferre à natura mutuatos effectus  
ostenduntur, vt merularum, quæ motu voces atq; anguba-  
ta libentiaq; tandem mouent sigilla. Huic si tanquam  
oraculo vates sagax interpretq; adhibeatur, is  
ita legendum fortasse censuerit, vt merularum a-  
quæ motu voces: vt hæc verba ad efferre referantur.  
mox, atq; angulata lebetia, quæ tandem mouent sigilla.  
Suspicaretur & quispiam nō inconcinne legi  
posse arfulata: quanquā anguli extantes & emi-  
nentes satis ad ea mouenda accōmodati sunt.  
sed hæc ego frustra mecum sic deputo & ario-  
lor: cur non potius affirmo legendum merularū  
aquæ motu voces, & automata libantia vel bibentia? In  
tractoriis machinis cap. 14. eiusdē lib. ab eodē  
nominatur tympanū quoddam, vt in editioni  
bus extat, & quæ quidem vo-  
cabula adscriptitia & irreptitia sunt, pro qui-  
bus in veteri legi exemplari, vt ita tym-  
panum vocetur, quod rudente inuoluto tanq;  
vestiatur: vt proinde tympanū tanquam vesti-  
tura dicatur: & ei circumponatur fu-  
nis. nō extant hodie scripta eorū, qui his voca-  
bulis sunt vsi, & ab architectis mechanicisque  
excogitata sunt, nec eorū vsus in hac significa-  
tione publicus est si quis legeret prio-  
re loco, q̄ proximè ad secundum vocabulum  
etiam accederet: sed mihi hîc satis est fideliter  
testari veterum monumentorum auctoritatē.

Vitruui-  
us emen-  
datus.

Automata.

Amphielictra.

siç

fic enim & schemam dicunt. Id enim nihil aliud est, quàm ad pondus adpendere, cum sacoma sit illud pondus, quod per scapum libræ decurrit, & rem pensat. Lib. 9. cap. 3. in duplicanda Deli ara scribit Vitruuius, uti aræ eius quan-

Pes cōstratus : quas dratus, porrectus

tum haberet pedum quadratorum, id duplicaretur. pedes constrati in plano dicuntur, quadrati in solido & profundo. Festus quadrantal ait amphoram esse, quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capiat sextarios. Frontinus, in pede porrecto semipedes duo : in pede constrato semipedes quatuor, in pede quadrato semipedes octo. Duplicatio igitur pedum quadratorum nihil aliud est, quàm cubi duplicatio : erat enim ara Delia cubica. In calce libri 9. lubentissimè legerem, calculi aut ova proijciuntur : non ut in libris inoleuit, aut tona, nullo tolerabili sensu : & quia audacia prouectus sum, qua intemperanter & insolenter iam dudum sat scio abutor : sed cum semel faciem perfricueris, bene gnauiter impudentem esse oportet : ut in eadem pertendam licentia & perseuerem, eodem capite in hibernis horologiis, quæ anaporica legimus dici, libenter anaphorica legerem. nam & anaphora verbum astrologorum est, & adiectio aspirationis non vsque quæque proiectæ audaciæ videatur esse. De anaphoris autem apud Ptolemæum legere in promptu est libro 2. magnæ compositionis. quo autem argumento anaporica dici debeant, non satis perspicio, & prudentioribus existimandum relinquo. Interim tamen illud testatum volo, quæ hinc dico, me ea religione nõ dicere, qua in tribunali dicerem : sed, ut artes plerunque facere solent, me coniecturam captare, quam neque aliis magnopere vendito, neque mihi satis approbo. non tantum qui ad verum euasit, laudem meretur in coniciendo, verum etiam qui verisimilitudinem tenuit.

#### CAPVT XV.

*Manubie, aliptæ, iatraliptæ, & quædam alia in Cicerone explicata.*

**A**mbigitur cur statim initio epistolarum ad Lentulum Cicero, Ego omni officio ac potius pietate, scribat. quæ enim pietas Ciceroni erga Lentulum intercessit? Ego hoc nomen ad amplificationem Lentuli erga Ciceronem meritum positum esse arbitror, cum officij nomine sibi nõ satisfaceret, & grauius aliquod & sanctius sibi vocabulum quærendum putaret, ad testificationem sui erga salutis suæ auctorem grati animi, quem cum parentis loco ducat & numero, ut in quadam oratione dicit, pietasque in parentes sit, idè pietatis nomè vsurpauit: Epistol. 9. eiusdem libri, Quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem : quid enim dicam benevolentiam, cum illud ipsum grauisimum & sanctissimum nomen pietatis leuius mihi meritis erga me tuis esse videatur? In eadem hac epistola illud, nostram vicem vltus est ipse sese, quid valet? sententia est, cum ipsum vicisci debuerimus, ipse se vltro vltus

Nostram vicem.

est. nostram igitur vicem valet, nostra vice: Plautus in Mostel. Sc. Iupiter supremus.

Qui hodie sese excruciarī meam vicem possit pati. sic magnam partem nostra oratio constat iam-bis, pro magna ex parte Cic. in Bruto dixit. Ea dè epist. Subductis rationibus summam feci cogitationem, à calculatoribus est ductum qui æra redigunt in summam, summamque ex iis faciunt. Ut imperatores de prædatitia pecunia, id est, de manubiis, ut templum, porticum, in vrbe ædificabant : ita decreta sibi à senatu ad ædificandam domum pecuniã manubias vocat. Domum autem suam ibidem monimentum, rem augens, ac propter decretam à senatu pecuniam, monimentum senatus dicit. Olim medicina in morbis tantum profligandis censebatur, & salutis restitutione: in valetudinis conseruatione & virium amplificatione *παιδοψιλαι* & aliptæ, id est vinctores occupati erant: illi quoque quorum officium ex vinctore & medico conflatum & mixtum erat, vel potius qui medicorum erant vinctores, qui iatraliptæ dicebantur, ut Celsus libro 1. cap. 1. vocat: etiam nonnulli longos maxime aliptarum officio attribuerunt, ut scribit Cælius Aurelianus. idè hinc Cicero scribit, sed vellem nõ solum salutis meæ, quemadmodum medici: sed etiam ut aliptæ, virium et coloris rationem habere voluissent. in quo analepticon, qua è morbis sese recreant & reficiunt ægri & affecti, aliptis etiam tribuere videtur. Iatraliptas Plin. lib. 29. c. 1. vinctores medicorum, & mediastinos eorum seruosque dicit esse, ita scribens. Prodicus Selymbriæ natus discipulus eius, instituens quam vocat iatralipticon, vinctoribus quoque medicorum & mediastinis vinctigalia inuenit. Epist. vlt. lib. 1. dicit Cicero se libenter Valerio gratificari nomè Iurisconsulti & tribuere, ut ille videri & audire cupiebat: idque se eo libentius dicit facere, quod gaudeat eum iuris potius, quàm iniuriæ studiosum esse voluisse, cum audaciæ hominum ad iniuriam tanta sit licentia concessa, ut mirum sit quenquam ad ius & sapientiam potius, quàm ad vim & iniuriam propensum esse, & miretur eum Iurisconsultum videri velle. vbi numero aliquo sit, dicit Cicero, pro vbi & alij Iurisconsulti sint, non tu solus, ut in Sicilia, ne animos nimium tollas, quod solus istuc sapias. quantum, ne nimium tibi arroges & sumas, qui istinc veniunt, non te magnopere consuli dicunt: & si quando consuleris, non admodum bene respondere. locatur autem ex ambiguo Cicero, quod superbi respondere aliis etiam nõ dignentur, & quod improbi & contumeliosi malè respondeant, quod est contumeliosè & iniuriosè & acerbè. Neque in Appuliam tuam accedas, inquit, ut possimus saluum te venisse gaudere. Erat enim insalubris & pestilens Appulia, & verebatur, ne si eò deflesteret, aduersam valetudinem contraheret, morbi que lues in ea sic grassata erat, ut absumptis multis mortalibus vix quisquam reliquus esset è Valerij notis & propinquis, cum interim ignobilem & ignotum cauilletur, cui nullus propinquus sit & affinis.

Manubie

Aliptæ.

Iatraliptæ



Satis acceptum valet, certum & compertum, & firmum, veluti datis fideiussoribus & sponforibus. satis enim accipit, cui prædes & sponfores dantur. unde translationes illæ sunt profectæ. Ait idem in eadem scena,

Soli gerendum censeo morem, & capiundos crines.

Capere crines.

hic ego capere crines esse suspicor blandiri & assentari, leuiq; capillorum tactu ac mulcente delenire, & amabiliter attingere: sic etiam aures leniter tractabant iis quibus adulabantur, quosque captabat & admirabantur, & quibus indicabant vel simulabant amorem, & quos osculabantur: Flaccus lib. 2. saty. 5.

— aurem, inquit, substringe loquaci.

Plautus in Afinar. Sc. Cur me retentas.

Prehende auriculas, compara labella cum labellis.

Sc. Iam pridè. — speculo, inquit, claras clarorè merū. hæc ego verba sic intelligo, tam claras esse ædes tamque polita & nitida facie, vt æquor & planities speculi non sit clarior. Itaq; satis ad speculum eas claras esse ait, claroremque merum. speculo igitur valet, vel si speculum ex eis esset faciendum. Hæ tanquam decumæ & Mostellaria Plauti exactæ collectæque sunt.

CAPVT XVIII.

Cicero in Lucullo explicatus, Hicetas, terra Platoni non mouetur, terra penitus defixa radicibus.

Cicero explicatus.

PRuriginosum quiddam, vt ita dicā, & scabiosum videtur inesse in peroratione Luculli, cum causa academice in vtranq; partem disputata, sententia tandem dicitur. cum autem velle videatur dicere retinendam esse *ἀναπαύσειαν*, præsertim cum percipi & comprehendere nihil possit, tollendam tamen *ἰσχυρῶς*, cum de omni re assensio sustineri non possit: particulam per veluti scabiem quandam exterens, & in eius locum veluti floridam cutem particulam nec inducens, lego, nec *ἰσχυρῶς* illam omnium rerum comprobans: quo quidē in loco Carneadem sequitur, qui assensionem relinquebat sublata comprehensione: sapientem enim assentiri & opinari, nihil tamen percipere dicebat. Nume-nius apud Eusebium lib. 4. euang. præpar. de Carneade loquens ab Arcefila discrepante in epoche, *μένω δ' ἐν τῷ ὄρει ἰσχυρῶς λέγω πρὸς αὐτὸν δόξαν, φῶς ἀδύνατον εἶναι ἀνθρώπου πρὸς ἀπάντων ἰσχυρῶς. διαφερόν τ' εἶναι ἀδύνατον καὶ ἀναπαύσειαν, καὶ πάντα μὲν εἶναι ἀναπαύσειαν, καὶ πάντα δ' ἀδύνατα.* Hanc itaq; sententiam cum esse etiam Carneadeam & academicam intelligeret Cicero, ait sese eam non aspernari, percontatusque Hortensium, quid ei videatur, ridens ille respondet, tollendam epochen, in quo imprudens academiæ assentitur, cui tamen aduersarius erat: proinde mox exclamat Cicero eū captum esse, eamque propriam esse academice sententiam. sic enim scribit, *teneo te inquam.* Scriptum est & à Cicerone eodem libro, Nicetam Syracusium censuisse cœlum, solem, lunā, stellas, supera denique omnia stare: hic in nomi-

ne proprio ferè suspicor aspirationem in literam n versipellem esse factam, Hicetamq; scribendum. sollicitat me Laertius, & vt ita credam facit, in Philolao ita scribens, *κατὰ τὸν κριτικὸν τὴν γλῶσσαν λέγουσιν ὅτι τὸν ἐπιπέδον, οὐδὲ ἔκστασιν οὐρανῶν φασί.* Ait Cicero quibusdam Platonem idem in Timæo dicere videri, sed obscurius, atq; ea sanè Aristotelis sententia est lib. 1. de cœlo: sed eam calumniæ infimulat Simplicius: cū enim Plato scribat in Timæo, *τὴν δὲ γλῶσσαν μέγιστον ἰσομετρίῳ πρὸς τὸν δία πάντων ἰσομετρίῳ πῶλον:* illud *ἰσομετρίῳ* & *ἰσομετρίῳ* accipit: at Simplicius pugnat esse alligatam, hæretem, vt apud Apollonium, *ἀσμοῖς ἰσομετρίῳ*, est vinculis adstrictum. Cæterum quod libro priore ait, *terra penitus defixa sit, & quasi radicibus suis hæreat:* è Xenophanis sententia dixit, qui eam in infinitum demissis actisque radicibus hæerere censebat. Plutarchus, *ἐκ τῆς ἀπὸ θάλασσης τῆς γλῶσσης. Ἐροδοτὸς δὲ πρὸς τὴν εἰς ἀπείρου ἵψην εἰσάγει.* Ibidem, *Nec eo tamen empirici notiora esse illa,* scribendum censeo, non vt per omnes peruasit libros, *Empiricis.* nam Empirici, quod à Galeno scriptum etiam est, contemnebant corporum dissectiones, quod dicerent aliū habitum coloremq; esse in viuis ac mortuis, in integris ac dissectis. Lego etiam, *sed mihi minores tale visum:* hoc sensu, non respondent maiores & veteres philosophi, vt Aristoteles & alij: sed minores & iuniores, vt Stoici. Hanc paucorum locorum animaduersionem explicationemque gratam esse bonis iuuenibus vehementer optamus.

Hicetas.

Terra Platoni non mouetur.

Terra defixa radicibus.

CAPVT XIX.

Genius, deus natalis, Iuno natalis, pressum quasillo scortum.

NATALI die celebrabatur & colebatur genius, vt ex illa Persiana cæsura, satyra 2. planū est, *Funde merum genio.* Colebatur autem à viris: hi enim genium habere censebantur, non à sceminis: deusq; natalis vocabatur: testimonio est Tibullianum illud lib. 4. eleg. 5. *At tu natalis quoniam deus omnia sentis Annue.* Iam autem antè deum etiam naturæ vocatum fuisse obseruauimus, & in commentarios hos retulimus. Vt autem viri suo natali genium colebant, sic mulieres venerabantur Iunonem, quæ etiam Iuno natalis dicebatur, vt apud Tibullum eleg. sequenti, *Natalis Iuno sanctos cape thuris acervos.* Igitur, vt per genium virorū, sic per Iunonem mulierum iurabant. de viro Tibullus elegia 5. eiusdem libri sic scribit, *Perq; tuos oculos per geniumq; rogo. de muliere idem lib. 2. eleg. 12.* *Hæc per sancta tue Iunonis numina iuro.* Cū autē ille politus suauisq; poeta, & quidam Phæbeus olor, lib. 4. eleg. 10. canit, *— pressumq; quasillo scortum, quam Serui filia Sulpitij:* scortum, quam Serui filia Sulpitij: scortillum significat egenum, & se meretri-

Genius.

Natalis deus.

Iuno natalis.

Scortum pressum quasillo.

cio quæstu malè tolerans, lanificioque miseram trahens vitam. quæ enim ad extremam redactæ erant paupertatem meretrices & mulieres, lanam demum faciebant, & illa se Minerua exhibebant. Sed & ibidem,

*Sit tibi cura togæ potior,*

de mœcha fœda & famosa adultera dicitur, vt apud Martialem lib. 2. epigr. 39.

*Vis magis quæ meruit mittere, mitte togam.*

in cuius epigramatis clausula *ne credam*, quàm nec credam, malim. Ille autem poeta, in quo sincerus esse videtur & ingenuus Latini sermonis sapor, nullo peregrino vitiatus succo, more tamen rituque Græcorum duas negationes vnus vice quibusdam videtur posuisse, lib. 4. eleg. 7. ita scribens,

*Non ego signatis quicquam mandare tabellis,*

*Ne legat id nemo, quam meus ante, velim.*

vt sit, ne legat id quisquam: poterit tamen exponi, vt legat id aliquis, antequam meus. In eodem porrò poeta eleg. 3. eiusdem libri legendum crediderim,

*Nunc sine me sit nulla Venus, sed lege Dianæ:*

hoc sensu, Nunc quia abs sum, nec tecum venor, nulla tecum puella sit: sed lege castæ Dianæ castus in siluis agites atque veneris. Hæc veluti ramenta pluma leuiora puluisculi more conuerimus ex illo nitidissimo poeta, quæ si quis non probat, reuertat, vt parasitus Plautinus in Stichio dicit.

#### CAPVT XX.

*Lua mater, Mineruium, Liuius emendatur.*

Romanorum erat consuetudo arma de hostibus capta interdum cremare Vulcano, aut Marti, aut Mineruæ, idque ab Imperatoribus factum reperimus non rarò. Sed libro etiam 45. Lunæ matri id factum scribit Liuius, vt cum in superioribus numinibus constet rei causa, hinc vacillet & titubet, certè non appareat. quid enim attinet arma in honorem Lunæ comburi? Ego istam lunam capite foras precipitem agendam putò, & in hos penates reuocandam Luam matrem, vt & lib. 8. scribitur, *Armorum vis magna tunc inter caesa corpora hostium tum in castris inuenta est. Ea Luæ matri dare se Consul dixit. ea dea nomen à luendo expiandoque sortita videtur esse, & præfuisse lustrationibus & lustris. post cædem autem hostium & bellum opus purgamentis & piaculis est. Eodem vero 45. lib. cum scribit, in oppido Mineruio duas portas & muri aliquantum de cælo tactum: partem quandam Romæ mihi videtur intelligere, in qua templum Mineruæ erat, quod Mineruium dicebatur, vt Dianium. Varro libro 4. de lingua Latina, *Ceroliensis quarticeps circa Mineruium. sed & Athenas in Italia collocat quasdam Stephanus, quod vocabulum Latinis auribus Mineruium explicat. Erat & in Campania Athenæum promontorium Mineruæ sacrum, ad verbum Mineruium: cum templo autè aliquid etiam**

oppidi erat: non enim sine testis aliis solum desertumque, vt opinor, Mineruæ delubrum procul ab hominum cœtu exulabat. de his igitur Mineruiis melius fuerit intelligere. & quia, vt nostrum seculum corruptumque, sic quoque eadem in libros passim peruasit corruptela, censoria notatione indiget & virgula. In eo igitur libro cum legitur, *pecuniam illum dare non potuisse, militem honorem non posse: illud posterius, non, quod in primis editionibus non extat, fugandum est, & honorem dare posse scribendum. qui autem potest honorem dare, penes eum etiam potestas est non dandi. Intelligat igitur Paulus, qui se negat habuisse potestatem dandæ pecuniæ, militem habere potestatem mandandi suffragio triumphi, quem non deferret malè merito. iste sensus & historico dignior est, & argutior, & acrior. Nihilò secius & illud subscriptionem notæ censoriæ meretur, *Omnes illas victimas quas traducendas in triumpho vindicauit. si in triumphum dicauit scribarur, & sententiæ satisfiet, & ingenua quædam liberalisque antiquitatis indoles apparebit. Etiam animaduersione indiget illud, ego qui de illo triumphauit, ab altero funere filij curru ex capitolio ad alterum propè iam expirantem veni. igitur scribo, filij in curru: & distingo sic, Antequam currum triumphalem ascenderet, alterum se amisisse à liberis dicit, alterum actò iam triumpho, quod consonat historiæ. Illud etiam quiddam habet, quod tanquam tribu mouendum est, *Pullo amictus ille Perseus ingressus est castra. in cuius locum & tribum inducendum villo: vt sit, pullo amictus villo. Quod si quis filo malit, litigantem me non habebit: alterum tamen magis probantem: sed omnium tamen maximè, pullo amiculo Perseus. Has ex illo Liuij libro obseruatiunculas colligebamus, iuuentutis studiis potius quàm nostris sedulo inseruientes.***

Liuius emendatur.

#### CAPVT XXI.

*Censui censendo, gratiosa missio, auocare concionem, tabularium, adiectiones familiarum & locorum: apud Liuium lib. 43.*

Mirum fortasse videri potest, cur Liuius scribat 43. libro, Furium & Martienum alterum Prænestæ, alterum Tibur exulatum abiisse. id enim est propemodum

*Exquilias à feruenti migrare Suburra,*

vt cum Satyrico loquar. sed enim vrbes erant aliquot Latinorum, in quas exilij causa solum vertere ius erat iam inde ab vltima propè antiquitate, in quibus hæc duæ numerabantur, quæ Halicarnassæus declarat. Sed & ex eodè Liuij libro quædam alia notare non ab re fuerit, vt quod è vestigio sequitur, *compellare pro accusare poni solere à bonis scriptoribus: verba Liuij sunt, summa erat prohiberi à patronis nobiles ac potentes compellare. cuius quidem notionis verbi multa apud reliquos extant exempla, quæ rescribere longum esset. Qui ex iis mulieribus suscepti essent*

Compellare.

Lua mater.

Mineruium.

pti essent, quibuscum ius connubij non esset, seruorum in numero fuisse videntur: quidam Latine conditionis fuisse credunt, quod eo Liuij quem proferam loco probare conantur. sed aut nihil video omnino, aut seruos esse Liuius ostendit: eius verba sunt, *Ex militibus Romanis & ex Hispanis mulieribus, cū quibus connubium non esset, natos se memorantes supra quatuor millia hominum orabant, vt sibi oppidum, in quo habitarent, daretur: Senatus decreuit, vt nomina sua apud L. Canuleium profiterentur: eumq; si quos manumisisset, eos Cartheiam ad Oceanum deduci placere.* ecce Liuius manumitti eos senatui placuisse scribit, quo significat, ingenuos non fuisse. sed & eam coloniam Latinorum fuisse libertinorumque appellatam esse scribit: quæ firmissima sunt nostræ sententiæ adiuueta. Sors cernere dicitur, cum eius aleæ aliquid permittitur, vt id disceperet, vt euentus sit, quem diiudicauerit: Liuius eodem libro, priusquam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in vtramque prouinciam, quod res desideraret, supplementi, decerni. Legem censui censendo dicere, pro censui agendo æstimandisque ciuium fortunis & facultatibus, vetere dicendi formula usurpauit Liuius his verbis, *Legem censui censendo dicturos esse vt præter commune omnium ciuium ius iurandum hæc adiurarent.* id est, hæc iurarent, aut præterea iurarent: id enim est adiurare: Cicero pro Flacco, *Illud quero sint ne ista prædia censui censendo?* Gratiola missio præter causariam & ignominiosam & honestam confectis stipendiis, est apud Liuium quæ per ambitionem & gratiam impetrata est: sic enim scribit, *Et quorum ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset.* Auocare concionem est concionem à magistratu, qui eam aduocauit, abducere: quod, vt apud Gellium est lib. 13. cap. 14. ius erat aliquibus magistratibus facere: sed à tribuno auocare, vt ex Liuiio auguramur, nefas. sic enim dicit, *eo facto auocata a se concionem tribunus questus.* Tribunus non tantum multam irrogat, sed etiam crimen iudicat, cum quem de crimine condemnat: qua de re apud populum post certabatur ex prouocatione: Liuius, *Et vtrique censori perduellionem se iudicare.* proinde Cicero scripsit lib. 2. de Legibus, *Cum magistratus irrogasset iudicasset ve.* Tabularium locus erat Romæ refertus omnibus instrumentis, tabulis, literisq; publicis, in quibus omnia pascua, prædia, vectigalia, portoria, ciuitates, redemptionesque publicanorum perscripta erant. erat autem in atrio Libertatis: Liuius, *censores exemplo in atrium Libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabelis publicis clausoq; tabulario & dimissis seruis publicis, negarūt se prius quicquam negotij publici gesturos, quam iudicium populi de se factum esset.* De eo Maro lib. 2. Georgic. sic scripsit, *Insanumq; forum & populi tabularia vidit.* Certus videtur in coloniis fuisse familiarum numerus, cui iniussu senatus adicere non licebat: Tacitus, *Emeritensibus familiarum adiectiones, quem in sensum esse Taciti verba accipienda, quæ tamen nonnullos in errorem induxerūt,*

Sors cernit.

Censui censendo.

Gratiola missio.

Auocare concionem.

Tabularium.

Adiectiones familiarum.

ostendit Liuius, sic scribens: *Postulantibus à senatu Aquileiensium legatis, vt numerum colonorum auget, M. & D. familia ex S. C. scriptæ.* Sic etiam adiectione locorum in quadam inscriptione legitur, **TRIBVS XXXV. QVOD LIBERALTATE OPTIMI PRINCIPIS COMMODA EARVM LOCORVM ADIECTIONE AMPLIATA SINT.**

CAPVT XII.

*Patagus, passer marinus, vola curriculo, iniicere terram, simulatrices, offerumenta, ora, occentassit, presentanea porca.*

**L**egimus in Festi commentariis libro 14. *Patagus* Patagus morbi genus esse, neque præterea quicquam reperimus: quod enim morbi genus sit, nobis cogitandum reliquit vel ipse, vel eius abbreviator. ferè crediderim morbum esse vitis qui *πατάγος* apud Theophrastum scribitur: eius verba sunt, *κατὰ τὸν κύριον λαδοῦσι πατάγος γὰρ ὀνόματι μόνον:* vbi Theodorus *παταγοῦ* legisse videtur, cum paxillum interpretetur. ac videtur hoc morbi genus esse, cum sauciatur ligone in ablaqueatione, vt sit patagus plaga & percussio. In eodem Festi commentario passerem marinum legimus esse struthiocamelū, qui cum ira volare solet vt à terra se nō tollat, sed alarum pulsus velis vnà currens remiget: idcirco Plautus in Perfa, Sc. Satin' hæc tibi scripsit, *Vola curriculo: istud marinus passer in circo solet.* Volatarius autem vocatur passer, vt reor, quod ex Africa in Italiam mari adueheretur. Eodem libro præcidaneam porcā dicit esse Festus, quæ immolabatur ab eo, qui mortuo iussa non fecisset, id est, glebam non obiecisset: hoc intelligo de genere sepulture, quod per iniectiōnem glebæ fiebat: quod genus sepulture omnium infimum erat, usurpabaturque cum quis in cadaver insepultum incidere. nam insepultum relinquere nefas habebatur, quod porca expiandum esset, id est piacularibus sacris soluendum: Horatius lib. 1. ode 28.

Passer marinus.

Vola curriculo.

Terram iniicere.

—licebit iniecto ter puluere curras.

Ibidem in expiabilem penè fraudem fuisse id non facere ostendit,

*Negligis immeritis nocituram  
Post modò te natis fraudem committere: forsan  
Debita iura vicesq; superbe  
Te maneant ipsum, precibus non linquat multis,  
Teq; piacula nulla resoluent.*

Atque eadem erat Græcis opinio, & pulueris iniiciendi religio: Sophocles,

*Αντιθῆξ ἄγος φάβητος, ἄνελος ἕβρις.*

Hanc saltem sepulturam postulat ab Æneanaufragus Palinurus, cum ait Æneid. 6. *Aut tibi mihi terram iniice.* Sic etiā apud Halicarnasseum lib. 3. metu piaculi à populo sepelitur Horatia, *ἀλλὰ οἱ παρὶν ὅτι κιντὸν ἰππὶ μὲν ἐν τῷ δειχθέντι χωρίῳ, μίθω ἐπιφορῶντες καὶ γὰρ, ἀνὸς ὄραον ὅτι τῶμα ἔρημον ἕκαστομύω.* Iam hic non omittam monere, quod C. V. Petro Fabro Regis Consiliario acceptum fero, cum

60

cum in Festo ipsiusq; breuiario omnis hostia, quæ vel frugū causa, vel mortui, cui iusta quis non fecisset, immolatur præcidanea vocetur: à Mario Victorino culpam, qui eam ita appellaret, cum præcidariam dici debere pronunciet, dicatque à præsentanea differre, quæ præsentem mortuo, quem condituri sunt, imoletur. Ergo auctore Fabro in Festo, ubi scribitur mutilatè, *presau ... porca dicitur, ut ait, Veranius, non dubitandum quin legendum sit præsentanea porca.* 10 adicitur enim quod pars quædam eius sacrificij fit in conspectu mortui. Eodem in commentario quod legimus, *pedibus obsidum*, improbæ pecuniæ est & subæratæ, cum *obsidum* legendum sit pro pedicoso. sed & in proximo Lucillij veru scribendum conicio,

*Obtuso ore pugil piscinensiq; resesq;*  
 Simulatri-  
 ces. Scribit Festus, simulatrices esse mulieres sagas & expiatrix, vel sacerdotes quæ expiare sunt solitæ, quod verbū putem ex eo natum, quod 20 in sacris multa simularètur, & simulata pro veris haberentur, ut apud Maronem 4. Æneid.

*Sparserat & latices simulatos fontis Auerni.*  
 Alioqui mulieres rebus diuinis deditæ simulatrices dicebantur, sed & simulatrices. In censoria lege sartorum rectorum scribebatur, *Porticum sartam habeto, prodito: quod est, habeto & porro aliis redemptoribus dato. hoc ideò retuli, quod mendosum in Festo sit, & obscurum.* Plorare apud priscos etiam erat, quiritatu & 30 ploratu auxilium petere, & appellare clamareque: Festus, *si parentem puer verbasit, ast ollus plorasit parentes, Diuis parentum sacer esto: sic ferè corrigendum Festum crediderim, in quo verberit nō credo rectè legi: aut potius verberit, erit verberet, ut alio loco vindicit, vindicet.* Dignum obseruatu est, cum Festus palilia dici rectè iudicet, Mario Victorino palilia placere, palilia displicere: sic enim scribit, *Palilia dicuntur non palilia, non à Pale dea, sed quod eo tempore omnia sata arborisq; & herbe parturiant pariantq;.* Athenæus quoque lib. 8. palilia nominat, quæ sua dicit ætate Romana vocata, condito vrbs genio & Fortunæ templo. *τὰ, inquit, παρλια τῶν αὐτῶν τῶν θεῶν, ἢ τῶν παρλια.* In Festo autem pararium æs à paribus, id est, duobus equis nomen habuisse arbitror. Iurisdicctio prætoris olim in possessione danda, adimenda, recuperanda, retinenda posita fuit, non dominio & iure rei tradendo: id enim ad legitimas pertinebat actiones non prætorias. indicant id verba Festi quæ subscribam, itaque *in legitimis actionibus nemo ex ijs possessionem suam vocare audeat: sed ad interdictum venit, ut prætorij verbis utatur, Vti nunc possidetis eum fundum quo de agitur, quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, ita possideatis: aduersus ea vim fieri veto.* Penatores, inquit Festus, sunt apud Catonem, qui penus gestant. hac Catonis auctoritate adducti quidam opinatores in codice Iustiniani in penatores mutandos censent: nos cum id extra can 60

cellos nostros sit, pedè referemus, & iuriconsultis sua relinquemus, eorumque iudicio stabimus: tantum dicemus in antiquo vocabulario reperisse nos, opinatores esse æstimatores, vel militares. Procos Seruius Tullius in descriptione clausium quæ fecit, perquæ antiquè vocauit patricos vel proceres: ne id quidè mendo vacat, quæ mihi causa adscribendi fuit. *Offerumenta sunt,* inquit Festus, *quæ offeruntur:* id ego de iis accipiendū putauerim, quæ in sacris offerbantur: vnde ut suspicor natus est elegans Plauti iocus in Rudente, Sc. Exi è phano.

*Ni offermentas habes plures in tergo tuo.*  
 ubi offermentas vibices plagarum tergo oblatarum perquam ioculariter appellat. Offucare idem Festus explicat aquam in fauces ad bibendum dare, & hinc putant infucare esse apud Plautum in Cistellaria, Sc. i. vinum aqua diluere, cum etiā aqua eius color infucetur: atque *id merum infucabat,* quàm *infuscabat* malunt, cum infucare verius putem, quod cum generosi vini nigrior sit color, dilutior mixta aqua fusciorque reddatur. Occasus occasio veteribus fuit, ut Ennius apud Festum libro decimo tertio de Coelice,

*Hic datus est occasus, Horatius inclutus saltu.*  
 Qui de cælo tactus erat, Romanorum religione non cremabatur, sed sepeliebatur, Plinio libro 2. cap. 54. auctore, cuius verba sunt, *hominem ita exanimatum cremari fas non est, condit terra religio tradidit.* leges tamen Numæ ne sepeliri quidem volebant, cum iusta fieri fulminatis nollent: eas proferam ex libro decimotertio Festi, *Si hominē fulminibus occidit, ne supra genua tollito.* huius legis hæc esse sententiam existimo, ut si quis Iouis fulmine sit exanimatus, ne ad sepulturam tollatur. Iterum, *homo si fulmine occisus est, ei iusta nulla fieri oportet.* Occentasis pro conuictum fecerit veteres dicebant, inquit Festus: hinc illa 40 xij. tabul. lex, *si quis occentasis, siue carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri precaretur.* Ora non solum extremas partes significat, Ora. sed etiā primas: Cecilius apud Festum lib. 13.

*Oram reperire nullam quam expediam quæ.*  
 Proinde Maroni tota regio est, ut cum scribit libro 9. Æneid.

*Et mecum ingentes oras euoluite belli.*

Et ante eum Ennio,

*Quis potis ingentes oras euoluere belli.*

Bellè enim totum campum & regionem spatiumque intelligunt, id est, bellum ipsum per circumlocutionem: quidam tamen principium accipiunt. In opimis spoliis quæ ab Ope dicuntur, in Festo non leuis residet error, cum scribitur, *Opem cognominatam esse constituit: ubi piaculum non, ut opinor, commiserit, qui consuam scripserit, quod Opis cognomen fuisse legimus.* sed quæ de opimis spoliis scribit, è re fuerit cum Plutarcho conferre, quod & nos aliquando faciemus.